

hec bene quidem dicuntur et aptissime; verumtamen Idiota per vestem hanc charitatem, seu amorem divinum intelligit, qui divisionem minime admittit: « Designantur per tuam tunicam incon-
« sultem, quæ nec seissa fuit, nec divisa, quia
« amor, neque dividi debet, neque scindi, et qui
« eam dividunt, vel scindunt, peiores videntur,
« quam milites te crucifigentes, qui tuam tunicam
« dividere noluerunt. »

b. — Cor sedes est amoris, non igitur illud ingreditur Christus, nisi prius exterminata turba, quæ scilicet nequeunt simul stare amor Dei et mundi. S. Joannes Apostolus, 1 *Epist.*, II, 15, sic ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas Patris in eo.* S. Augustinus hoc S. Joannis, divino amore præ cunctis aliis ferventissime ardentis, monitum ponderans, cavendum esse dicit: « Ne quis dicat in corde suo: Falsum hoc est; » quasi dicat: Nemo se doctrinæ dilecti hujus discipuli opponat, nam Deus est qui in verbis illis loquitur, Spiritus Sanctus per os et calamus Joannis nos erudit; ac proinde S. Doctor concludit: « Nihil verius. » At vero dices fortasse, quoniam modo Apostolus a nobis aversionem mundi exigit, cum tamen mundus a Deo creatus fuerit? *Mundus per ipsum factus est*, inquit, in Evangelii sui exordio; idem Apostolus S. Paulus quoque ad Timotheum ait: *Omnis creatura Dei bona est*; et ad Romanos scribit, quod bona hæc terrena nobis velut scala quedam ad invisibilia agnoscenda et amore prosequenda deserviant. Hugo Cardinalis dubium hoc quoque movet, et solvit dum ait: « Quid est hoc? Nonne mundus potest « diligi? » Adducitque pro responsione distinctionem quamdam bene advertendam. « Diligere, » inquit, « est de diversis eligere. Unde ibi prohibetur « amor creaturarum super Deum, et non sub Deo. » S. Augustinus S. Joannem dicere velle existimat, quod illi qui per affectum suum in bonis terrenis se immergunt, « Inebriantur et pereunt et obli-
« cuntur Creatorem suum; dum non temperanter,
« sed cupide utuntur creaturis, Creator contem-
« nitur. »

c. — *Intraivit et surrexit puella.* Sicut ad introitum animæ in corpus, vivificatur corpus, ita ad introitum Dei in animam peccatoris vivificatur anima: *Deus est anima animæ nostræ*, quæ proinde moritur, dum Deum amittit, id quod per peccatum contingit, utpote quod lethiferum illius vulnus et venenum est. Audite S. Ambrosium dicentem: « Deponamus venenum pessimum, hoc est ira-
« cundiam, odium, invidiam, falsitatem, iniquita-
« tem, avaritiam, cupiditatem, superbiam, sacrile-
« gium, furtum, luxuriam, falsum testimonium,
« discordiam, perjurium: hæc sunt animarum
« venena. » Quantum obsecro unusquisque nostrum vulnera abhorret, quæ corpori nostro infliguntur?

Ergone vulnera quæ animæ illata, illam sauciant et dilacerant sentiemus et minus cavebimus, cum tamen longe sint irremediabiliora, mortemque afferant non corporalem, sed spiritualem et æternam?

d. — His verbis: *Et surrexit puella*, non solum significat Evangelista ad vitam puellam fuisse revocatum, sed etiam viribus corporis esse dotatum, ita ut statim erecta sit. Quod clarius exprimit S. Marcus, dicens: *Et ambulavit.* In cujus puellæ resurrectione hoc bene notandum est, quod celestis mortuorum suscitator Christus Deus, nequaquam tot cæremoniis usus sit, ut in resurrectione quadriduani Lazari, qui consuetudinariam peccatorem designabat; idque ex ea causa, quia puella erat, quod acutissime annotavit S. Antonius de Padua: « Puella, dixit, non veterana; anima enim quæ « nondum a diuturnitate male consuetudinis est « oppressa, sed quasi puella, novella in peccato est « sopita, de facili ad vitam potest resurgere. » Etenim si fuisset inveterata in peccato, majori cum difficultate eam resuscitasset, ob inveteratam peccati consuetudinem, quæ majores ad resurgendum difficultates parit.

Rupertus Abbas acute et fructuose considerat quæ inter Lazari cadaver et alia duo a Christo resuscitata, differentiæ intercedunt. Ait enim: « Peccator quivis jam pro mala consuetudine infamis Lazaro comparatur quadriduano, jamque « festenti. Et quidem juvenis quoque, qui effere-
« batur per portam civitatis; puella etiam quam
« adhuc in domo sua jacentem, idem Dominus
« suscitavit, mortem significat animæ peccatricis; « sed in singulis figurantur peccatorum modi.
« Puella namque mortua, in domo jacens, anima « est, quæ conscientia mali desiderii suffocata,
« nondum tamen per operis consummationem est « publicata. Juvenis autem qui per portam civitatis « efferabatur, peccator est, qui desiderio malo « preventus, usque ad exteriores quoque pervenit « iniquitatis effectus. At vero, qui opera peccati « jam in consuetudinem vertit, famamque perdidit, « Lazaro, ut jam dictum est, simili est quadri-
« duano, jamque festenti. » S. Thomas a Villanova similitudinem affert infirmitatis habitualis, diffi-
« culter curabilis: « Sicut qui ægritudinibus corpora-
« libus, distemperatis humoribus ægrotat, perfacile « sanatur; qui autem corruptis omnino, et patridis « diuturna febre laborat, longo tempore et forti « medicamine vix curatur; ita in animæ ægritudi-
« nibus omnino evenire solet. »

S. Propheta Jeremias difficultatem reducendi hominem, post malam consuetudinem, diuturno tempore in peccato contractam, ad virtuosè operandum, apta quadam explicat similitudine in-
« quens, xii, 13: *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas; et vos poteritis*

facere, cum didiceritis malum. Enimvero quantumcumque aquam habeat Oceanus, hæc tamen ad abstergendam ab Æthiopo nigredinem minime sufficit; eodem modo, inquit Deus, per Prophetam suum, quantumcumque adhibeatis diligentiam, laborem et industriam, malum tamen habitum, per vitia et pravos mores vestros contractum, nonnisi cum summa difficultate eradicabit. Nemini ignotum est illud S. Augustini, ante conversionem suam, in impudicitiæ turpitudinem prolapsi, lamentum: « Suspirabam, » inquit, « ligatus non « ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. » S. Gregorius Magnus, super illa Jobi verba: *Si incluserit hominem, nullus est, qui aperiat*, in hæc verba scribit: « Sæpe nonnulli a pravis actibus exire « cupiant, sed quia eorumdem actuum pondere « premuntur, in male consuetudinis carcere in-
« clusi, a semetipsis exire non possunt. » Est enim

mala consuetudo, velut catena quedam, quæ nostra nos desituit libertate, adigitque quo lubet.

VERSUS 26.

Et exiit fama hæc in universam terram illam.

1. — Lucas *Brugensis* ait: « Dimanavi fama « miraculi hujus in universam Galileam; omnibus « certatim, magnaque contentione tantum miracu-
« lum prædicantibus et divulgantibus, quantumvis « ipse occultari jussisset, » juxta S. Marcum; vide-
« licet « sequitur gloria fugientes. » S. Lucas scribit: *Obstupuerunt parentes ejus*; S. Marcus vero dicit: *Obstupuerunt stupore magno.* Toletus causam impositi a Christo silentii, ne scilicet quidam divulgaretur, popularis applausus fugam fuisse tradit, inquit: « Donec ipse cum discipulis, turbam multam foras « expectantem, reique exitum videre cupientem « declinaret, hominum plausum fugiens. »

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXIV, VERS. 15

15. Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat.
16. Tunc qui in Judæa sunt, fugiant ad montes.
17. Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.
18. Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.
19. Væ autem prægnantibus et nutriendis in illis diebus.
20. Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.
21. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet.
22. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.
23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus aut illic, nolite credere.
24. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.
25. Ecce prædixi vobis.
26. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.
27. Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.
28. Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.
29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de caelo et virtutes caelorum commovebuntur.
30. Et tunc parebit signum Filii hominis in caelo, et tunc plangent omnes tribus terræ, et videbunt Filium hominis, venientem in nubibus caeli cum virtute multa et majestate.
31. Et mittet Angelos suos cum tuba et voce magna, et congregabunt electos a quatuor ventis a summis caelorum usque ad terminos eorum.

32. Ab arbore autem fici discite parabolam; cum jam ramus ejus tener fuerit et folia nata, scitis, quia prope est aestas.

33. Ita et vos cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est in januis.

34. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant.

35. Cælum et terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.

VERSUS 15.

Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legi intelligat.

Cum videritis abominationem.

1. — Juxta mentem Cajetani, in principio hujus capituli, quod est xxv in S. Matthæo, Christus Jerosolymitanam prædixit destructionem et desolationem: *Accesserunt ad eum discipuli ejus, dicentes: Dic nobis, quando hæc erunt?* Ad hæc igitur interrogationem sequentibus Christus verbis respondet.

2. — S. Hieronymus, juxta Sacræ Scripturæ loquendi modum, idola olim in abominationem denominata fuisse considerans, censet, per hæc abominationem intelligi posse, a Pilato in templo erectam Cæsaris statum: « Idcirco, » inquit, « additur *desolationis*, quod in desolato templo atque destructo positum sit. » Lyranus hoc adimpletum fuisse credit, quando Elius Adrianus in loco, ubi Arca Testamenti locari solebat, suum statuit simulacrum. S. Thomas porro ita discurret: « Per abominationes idola; Pilatus introduxit aquilam in templo quod erat signum Romanorum, quod Judæi abominationem dicebant, unde cum videritis idolum positum in loco sancto, potestis cognoscere impletionem Prophetiæ Danielis de destructione Jerosolymæ. » Glossa scribit: « Hoc dicitur de statua Adriani equestri, quæ in ipso Sanctorum loco, longo tempore stetit. »

3. — Per hæc quoque in loco sacro abominationem, Ecclesie irreverentia intelligi potest, eamque titulo ipsam Spiritus Sanctus in multis prophetiæ Ezechielis locis nuncupat, dicens, *Ezech.*, viii, 7: *Procul recedam a sanctuario meo, hæc autem recessus sui causam subdit: Vides tu, quid isti faciunt, abominationes magnas; ingrediere et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt.* Quando igitur omnis accumulata fuerit Ecclesie irreverentia, ubi omnis perierit domus Dei honor et respectus, tunc brevi desolabitur mundus, approximante Antichristo. Notandum est, discipulos post Christi a templo exitum, eum convenisse fabricam templi ipsi demonstratos, *Matth.*, xiv, 1: *Accesserunt discipuli ejus ut ostenderent ei ædificationem templi; tunc igitur ait ad illos: Non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat; instantibus autem iis, ut tempus ediceret finis mundi, respondit:*

Cum videritis abominationem stantem in loco sancto; quasi dicere voluisset: Tunc severissima quæcumque divinæ justitiæ supplicia, qualia prius commemorat, adventura mundo, quando abominatio, id est, loci sacri irreverentia et profanatio regnare cœperit.

4. — Lyranus ait: « Abominatio stans in loco sancto, est Prælati malus in Ecclesia, » conformiter ad illum Zachariæ, xi, 17, textum: *O pastor et idolum; pariter Albertus Magnus scribit: « Morale hier abominatio desolationis in templo, malus Prælati est in Ecclesia; »* Beda etiam in sensu spirituali ita scribit: « Cum viderimus abominationem desolationis stare ubi non decet, hoc est, hæreses et flagitia regnare inter eos, qui coelestibus mysteriis videbantur esse consecrati. »

5. — S. Bonaventura, *Serm.* i in *hac Dom.*, abominationes diversas, in quarum penam, Deus indignationem suam effundit super nos, considerat, dicens: « Christiani sine fide, populus sine dilectione, divites sine misericordia, juvenes sine reverentia, pauperes sine humilitate, mulieres sine verecundia, matrimonium sine continentia, clerici sine honestate et sanctitate, religiosi sine veritate, Prælati sine sollicitudine regiminis et pietate. »

Desolationis, quæ dicta est, etc.

6. — S. Augustinus a Glossa citatus, destructionem in hisce verbis Jerosolymitanam designari existimat, dum in Lucaam ita discurret: « Lucas quidem ut ostenderet, tunc factam fuisse abominationem desolationis, quæ a Daniele Propheta prædicata est, quando expugnata est Jerusalem, eodem loco hæc Domini verba commemorat: *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote, quia appropinquant desolatio ejus.* » Christum in titulo abominationis, Romanum intellexisse exercitum opinatur D. Chrysostomus, dicens: « Abominationem desolationis videtur mihi, exercitum dicere, quo scilicet desolata est civitas sancta. » Juxta S. Thomæ traditionem, Jerosolyma his a Romanis exercitum passa est, scilicet a Tito et Vespasiano, quando et templum destructum fuit, tunc equidem Hebræorum nonnulli ad Jerusalem incedendam relicti sunt, at dum hic postea, Trajani successori, Adriano rebellant, tota civitas eversa fuit, edicto lato, ne vel unus inibi posthac habitaret Judæus. Porro causam, cur Romanorum exercitus abominatio nuncupetur, hæc Jansenius assignat:

« Quod alienigenæ essent et idololatæ, paratique signa militaria, imaginibus Cæsaris et aquilæ insignita, inferre civitati Jerusalem, abominabiles erant ipsis Judæis; erantque illis abominatio desolationis. »

7. — Auctor Imperfecti verba illa de Antichristi adventu intelligens, ait, *Hom.* xlix: « In fine mundi et in Antichristo intelligendum est spiritualiter, quando et hæreses, et fames, et pestilentia, et illa omnia ante præcesserunt. » Ejusdem et Theophylacti opinio est, dicens: « Quidam Antichristum existimant, eo quod vastaturus mundum subversurus sit Ecclesias, ac sessurus in templo. » S. Hieronymus hunc Danielis adducit textum: *Et in dimidio hebdomadæ auferetur sacrificium et libamina, et in templo abominatio desolationum erit; sequenti pariter Apostoli auctoritate usus, subjungit: « De hoc et Apostolus loquitur, quod homo iniquitatis et adversarius elevandus sit contra omne, quod dicitur Deus et collitur, ita ut audeat stare in templo Dei et ostendere, quod ipse sit Deus. »* In idem quoque illa Hilarii recidit Glossa, dum ait: « De Antichristo istis temporibus hoc locutus est; abominatio ex eo dictus quod adversus Deum veniens, honorem sibi Dei vindicet; desolationis autem abominatio, quia, bellis et cædibus terram cum piculo desolaturus sit, atque a Judæis susceptus, loco sanctificationis insistet, ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, illic ab infidelibus receptus, Dei honore venerabilis sit. »

Qui legit, intelligat.

8. — Cajetanus Christum hæc verba non sine ratione dixisse: « Adjunxit, » inquit, « qui legit intelligat, ad reddendum nos cautos, ne fallamur in sensu prophetiæ hujus, et consequenter in ipsis Jesu; » idem etiam advertit, quod S. Lucas Romanorum exercitum, abominationis nomine nuncupet: « Nullus, » ait, « melior interpres Luca Evangelista est, qui exercitum Romanorum docuit intelligendum nomine abominationis desolationis; » etenim major abominatio dari nequit, quam dum impietas et sacrilegium, adversus populum et veri Dei cultum prevalere incipit.

9. — S. Thomas, in *Matth.*, Christum hæc dixisse observat, ut, dum hæc prophetia legitur, attentius consideretur: « Quia in illa prophetia Danielis multa dicuntur de passione Christi, sunt enim hæc verba observanda; unde ubi dicitur: *Occidetur Christus, et erit in templo abominatio desolationis.* »

10. — Potest etiam ex hisce verbis moralitas quedam utilissima elici pro iis qui libros legunt sacros et spirituales; horum enim lectio non obiter, perfunctorie et raptim transcurri debet, sed applicatio adhibenda est mentis, et reflectendum ad ea, quæ leguntur; ut enim aqua impetosa non

fœcundat, sed potius terre fundum secum rapiens, eradicat suffocante sementem, ita lectio obiter et sine mentis applicatione facta, animam non pascit, intellectui non prodest, et memoriam potius confundit, id quod vel gentilis Seneca probe intellexit, dicens: « Sic evolventi sunt auctores, ut, quod legeris, in tuos usus transformes. »

Additio.

Pro hac Dominica, vide Dominicam primam Adventus, ubi fustus de eadem tractatur materis. Nonnullas tamen hic specialiores notulas dabimus.

a. — *Cum videritis abominationem desolationis, etc.* Magnitudo ac terribilitas abominationis Antichristi, ex multis describitur in presenti Evangelio: *Qui in tecto est non descendat tollere tunicam suam. Et iterum: Væ pregnantibus, et nutriendis, etc.* Tandem: *Erit tribulatio magna.* Tamen in capite omnium, *abominationem desolationis stantem in loco sancto*, Dominus ponit. Omnium pessima ac horrendissima abominatio ex loco sancto profanato ostenditur. Elsi lex Moysis templi Judaici cultus et sacrificia jam essent abrogata, tempore illius desolationis, tamen templum illud Judaicum, in quo futura erit hæc abominatio, adhuc vocat locum sanctum, abominationemque futuram in eo horribilissimam judicat. Quanti tuis, o Christiane, Deum non offendit in templis veris, ubi ille vere habitat, in sacratissimo Eucharistiæ Sacramento, abominationes pessimas exercere?

Deus olim ore Jeremias Prophetæ, xi, 15, lamentabatur: *Quid est quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* Quasi diceret: Quodnam populus meus motivum habet, ut domum meam profanet? Cur adeo se irreverenter et ingratum exhibet, specialiter in loco ad me honorandum et colendum destinato? Verumtamen populum Judaicum tantisper dissimulando prætereamus, et discursum nostrum ad impios dirigamus Christianos, locorum sacrorum profanatores. *Quid est, quodnam est contemptus domus mee motivum?* Quamnam Christianismo contemptus hujus causam dedit? Quanam in domo mea damna passus est? Imo quæ bona a me non recepit, tam spiritualia quam corporalia, tam temporalia quam æterna?

His ultimis verbis, in domo mea, Deus dicere videtur: Non hic conqueror de impudicitia et inhonestate, quam lascivi committunt in prostibulo, nec de injustitiis quæ in tribunalibus fiunt, nec de invidiorum murmurationibus, et detractoribus quæ fiunt in aula, nec de extorsionibus et rapinis, quæ passim et ubique locum habent, sed de illis iniquitatibus et scelerebus, quæ locorum sacrorum profanatores in domo mea impudenter attentare præsumunt. Quanam enim est illa malignitas, quod Christianus aliquis, ad hoc ut dæmoni capitali locorum sacrorum inimico complacere, illos

in Ecclesia criminum excessus committat, quos alibi impunitus committere posset? Numquid igitur in plateis, foris et aliis locis publicis loca desunt, in quibus lascivos tuos obtutus lubricis objectis exsatiare, nundinas agitare, discursus obscenos et illicitos miscere possis, absque eo quod ad illa perpetranda in Ecclesiam quae domus Dei est, venire necessum sit? Teste Apostolo, demones infernales in ipso quoque inferno, ad prolationem nominis Jesu, genua sua flectunt: *Ut in nomine Jesu, omne genu flectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.* At vero hi, ut per experientiam videmus, in domo propria Dei, genua sua non solum non flectunt, verum etiam sacratissimo Corpori Christi dorsum summo obvertunt, et ideo erga illum ipsis quoque spiritibus infernalibus irreverentiores existunt.

VERSUS 16.

Tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes.

1. — Lyranus juxta sensum litteralem, Christum his verbis dicere voluisse credit, quod Judaei ab eo momento, quo hanc a Daniele prophetatam abominationem visuri sunt, Jerosolymam deinceps non amplius incolumem esse intelligant, quia licet Elius Adrianus eam denuo post desolationem reaedificavit, nulli tamen Judaeorum ad eam reintegrandam, licentiam dare voluit.

2. — S. Anselmus Christum hoc monito Christianos monere voluisse dicit, ut, priusquam illud exterminium inchoetur, saluti suae per fugam consulant: « Christiani enim appropinquante romano bello qui erant in Judaea, coacti admoniti discesserunt; » id ipsum et Lyranus ita tradit: « Quia fideles, qui erant in Jerusalem, admoniti sunt per Angelum, ut fugerent in regnum Agrippae, ultra Jordanem, quia rex Agrippa erat confederatus Romanis, et ideo ibi fideles salvati sunt. »

3. — Eundem quidem sensum litteralem sequens Glossa, quoad mysticum, subjungit: « Cum haereses et flagitia regnare coeperint inter sanctos, et pacem eorum distringere, quanto plures videntur sequi prava, tanto altius virtutes pelant. »

4. — Auctor Imperfecti haec verba ita exponit: « Tunc qui sunt in Christianitate conferant se ad Scripturas; montes enim sunt scripturae prophetarum et Prophetarum, de quibus dictum est: *Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis.* »

5. — S. Anselmus, praeter sensum litteralem, moralem quoque his verbis insinuat: « *Tunc qui in Judaea sunt*, hoc est, in confessione vere fidei, *fugiant ad montes*, hoc est, cultum virtutum ascendant. »

6. — Albertus Magnus, in *Matth.*, ait: « Mystice in Judaea sunt, quae confessio interpretatur, illi, qui confessioni laudis sunt dediti, sicut clerici et religiosi, quibus tempore persecutionis fugien-

« dum ad culmina virtutum; » cujus mox rationem subdit, dicens: « Virtutum perfectione tunc indigent, ut possint resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. »

7. — Jansenius ait: « *Fugiant ad montes*, hoc est, ad excelsum Dei auxilium; » Auctor Imperfecti vero hoc nobis dat salutare monitum: « Illi visibilem hostem fugerunt pedibus, nos autem invisibilem hostem fugiamus actibus bonis; quamvis enim diabolus sit spiritus, et homo corpus, tamen nunquam illos diabolus potest comprehendere qui fugiunt eum per bona opera; sine causa autem fugit ante eum pedibus, qui sequitur eum pedibus. »

8. — Per hanc tribulationem, Antichristi intelligendo persecutionem, oritur questio, cur praeter his hi, qui in Judaea sunt, ad fugam invitentur? cui respondet S. Hilarius, dicens: « Quia proprius iste Judaeae erit error, ut, qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem; » ad amplectendos namque Antichristi errores, omnium totius terrae populorum primi, magisque dispositi concurrent Judaei.

VERSUS 17.

Et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua.

1. — Juxta D. Chrysostomum, *Hom. lxxvii in Matth.*, Christus hoc loquendi modo, significare voluit, fore penitentiam et irreparabilem calamitatem illam: « Ut inevitabilem et summam calamitatem ostendat; » adeo scilicet improvisam fore Romani exercitus invasionem, ut nullum refugii futurum sit spatium; proinde admonet Dominus, ut nullus pro quacumque re in aedes suas concedat, sed omni sine dilatione in fugam se convertant omnes.

2. — Glossa ait: « Hoc est, nullo affectu inclinentur ad carnem et hoc, quod Lucas ait, *et qui in regionibus, non intrent in eam*, id est, qui jam « bono proposito cordis, extra illam facti sunt, non eam rursus carnali cupiditate desiderant. » S. Anselmus ad peccatorum carnalium, jam semel detestatorum occasionis fugam alludens, idem quasi insinuat, dum ait: « *Qui super tectum est*, id est, qui carnem, quo anima tegitur, superavit, non descendat infimos actus pristinae conversationis, « neque desideria carnis repetat. » S. Hieronymus aliam a praedicta nonnihil differentem moralitatem adducit, inquit: « Esse in tecto et in domo, quo non possunt ignita diaboli jacula pervenire, nec descendere et tollere aliquid de domo conversationis pristinae, nec quaerere quae retrorsum sunt. »

3. — S. Cyrillus Alexandrinus ad Sacrae Scripturae verba, ubi de S. Petro dicitur: *Ascendit in superiora*; alludens, inquit: « Petrus, quae sursum

« sunt, quae rebat, non quae super terram, illic ascendebat ad illa tecta, ad illa fastigia, de quibus haec omnibus dicit: *Qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua.* » Quam et Jansenius glossam insituitus ait: « *Qui vero in tecto*, hoc est, conversatione elevatus, et excelsior per vitam effectus fuerit, ac contemplationis altitudini detitus, non descendat, ut tollat mundi affectus et caras rerum terrenarum, quas sub se reliquerat. »

4. — Theophylactus ex hisce Christi verbis consilium quoddam eruit pro iis, qui perfectionis avidi, nihil quod sensibus placitum est, indulgere ac corpori condescendere accusant: « Intelligat et ita sit, quod, *qui in tecto est*, id est, excelsus virtutibus praeditus, non descendat a summis virtutibus, ut tollat ea, quae sunt corporis; domus enim anima, corpus. »

VERSUS 18.

Et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam.

1. — Glossa, in sensu spirituali, inquit: « *Non revertatur tollere tunicam suam*, hoc est, iterum involvi curis, quibus exutus est. » S. Hilarius pariter dicit: « Positus in operationem praeepti, non ad curas pristinas revertatur, neque aliqua corporis indumenta desideret. »

2. — S. Anselmus dogma quoddam inde elicit pro Ecclesiasticis, ut verborum Christi sensus sit: « Qui operatur in Ecclesia, sicut Paulus plantando, et Apollo rigando, *non revertatur tollere tunicam suam*, id est, non repetat saecularia, quibus se non daverat. »

3. — Theophylactus hoc dictum de recidivante in peccatum intelligit, inquit: « Oportet autem et ab agro secedere, hoc est, terrenis, et neque vestem tollere malitiae. »

VERSUS 19.

Vae autem praegnantibus et nutriendis in illis diebus.

1. — S. Thomas quoad litteram notat, mulieres praegnantem et lactantes, ad fugam tardiores et consequenter in majori suae salutis periculo constitutas esse: « His quidem, » ait, « quia pigriores sunt, et quia facile fugere non possunt, onere conceptionis gravatae, » lactantibus vero, « quia delinuntur vinculo compassionis filiorum, et non possunt simul salvare eos, quos lactant. » Origenes Christum ad aliud motivum in his verbis respexisse dicit, nempe ut ostendat, tunc nec pietati, nec compassioni amplius superfuturum locum: « Quia non erit tunc tempus miserendi, neque super praegnantem, neque super lactantem, neque

« super infantes eorum. » D. Chrysostomus impudenter considerat, quo detinentur, ne ad fugam veloces esse possint: « Quando infantium affectus vinculo retinentur, cumque nequeant simul et se et lactantes conservare, a deperunt. »

2. — Porro sensus spiritualis varii sunt, omnique utilissimi; S. Thomas ait: « Et quid per praegnantem? homines graves peccatis; homines autem nutriendos, sunt homines imperfecti; unde vult dicere: Vae hominibus oneratis peccatis et non confirmatis; » unde S. Augustinus ait: « Praegnantem sunt, qui concipiunt male agere; nutriendos, qui jam opere complent. »

3. — S. Bonaventura, per has praegnantem et lactantes, homines intelligit carnales, dicens: « Praegnantem et nutriendos luxuriosos significare possunt; vae autem damnationis non his solum, sed omnibus per septem vitia capitalia vitiosis, « tanquam nutriendis debetur. » Venerabilis Beda quoque per praegnantem hoc idem vitium exponit: « Anima, quae desideris carnalibus in illa ultima persecutione invenitur oppressa, aeternum vae subire cogitur, » quia omnium aliorum peccatorum penitentia facile quidem sperari potest, exceptis duntaxat iis, qui peccato carnali immersi vivunt. Unde S. Cyprianus vitium hoc impudicitiae, « matrem impudentiae » nominat.

4. — S. Anselmus per easdem praegnantem, avaro interpretatur, qui cum sint auri argentique mole graves, ad fugam minus habiles sunt: « Praegnantem vero sunt illi, qui laborant pro divitiis acquirendis, quorum animae graves sunt peccatis; nutriendos vero sunt illi, qui divitias adepti, fovent eas et augmentant. »

5. — Albertus Magnus ex his verbis moralitatem eruit pro iis, qui bona quidem proposita faciunt, sed in his non diu persistunt, quia mox ut tentantur, ab iis recedunt: « Sed et praegnantem sunt, qui de novo bonum propositum conceperunt, a facie tua conceptum et quasi parturivimus et peperimus spiritum salutis; nutriendos sunt qui jam quidem proficiunt, sed adhuc lacte teneriori indigent. I Cor., iii, 2: *Tanquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis*; omnes autem tales, eo quod in fide et charitate non sunt solidati, violentia tentationis vincuntur. »

6. — Origenes in homilia x super Exodum scribit: « Perfecti sunt viri et fortes, qui statim ut concipiunt, pariunt, id est, qui conceptum fidei verbum in opera reducunt. » Isidorus Pelusiota in quadam epistola sua ad eos pariter alludit, qui post concepta bona desideria, eas spiritus vires non habent, ut ea in effectum redigere possint, de quibus intelligit dicit verba haec: « *Vae praegnantibus et nutriendis*, ait Dominus, ad illas animas, quae divinum amorem velut utero adhuc gerunt, nec

« verborum libertate aut fiducia uti, Deique confessionem acremque pro eo contentionem ac dimissionem parere audent. »

7. — S. Ambrosius contra eos, qui in vincendis omnibus virtutum obstaculis pusillanimes sunt, aut agnitam veritatem; ubi opus est, non defendunt, ita scribit: « Sunt, qui Dei timorem concipiunt, sed non omnes pariunt; » non sic regius Propheta David, qui de seipso testatur, dicens, *Psal. cxv, 10: Credidi, propter quod locutus sum, ego autem humiliatus sum nimis. Vota mea Domino reddam, in conspectu omnis populi ejus, in atris domus Domini, in medio tui Jerusalem.*

8. — In libro Proverborum, 1, 26, de Sapia dicitur: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam, Septuaginta legunt: In portis Dynastarum astat.* Propheta Evangelicus sibi ipsi vè denuntiavit, dicens, *Isa., vi, 5: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum; quia ut Interlinearis ait: « Oziam et alios libere non reprehendi. »*

9. — S. Hilarius, *Can. xxv in Matth.*, hæc verba de animabus, peccatis onustis explicat, quæ vè æternæ damnationis effugere non poterunt: « Non de fetarum onere Dominum admonuisse credendum est, cum dicit: *Væ prægnantibus*; sed animarum peccati repletarum ostendisse gravitatem, quæ neque in tacto positæ, neque in agro « manentes, iræ tempestatem vitare possunt; » S. Ambrosius pro hœse prægnantes, eosdem intelligit, de quibus Salvator dixerat: *Edebant, bibebant, nubebant*, « ligantes scilicet se in hanc vitam, et « sollicitudinibus secularibus vincientes; hæc sunt « itaque prægnantes, quibus vè dicitur, quæ arvi- « nam suæ carnis extendant, et quibus intinorum « gressus pigrescant animorum, effeta virtutum, « fetæque vitiorum. »

10. — S. Hilarius, per lætantes, illarum animarum statum intelligit, quæ in resistendo tentationibus debiles sunt, quia cibum sibi non procurant solidiorem, id est, panem non frequentant coelestem: « Infirmitatem animarum, quæ ad cognitionem « nem Dei, tanquam læte educabantur, ostendit, « quæ perfecti cibi virtute indigentes, tenui divinæ « cogitationis, infirmoque gustatu imbuantur, et « idcirco vè ipsis erit, quia et ad effugiendum « Antichristum graves, et ad sustinendum impe- « ritæ, nec peccata effugerint; » cujus quidem debilitatis hanc notabilem dicit esse rationem: « Quia nec cibum veri panis acceperint, » illius, inquam, panis, de quo scribitur: *Et panis cor hominis confirmat. Psal. ciii, 15.*

Additiones.

a. — *Væ prægnantibus et nutriendibus, in illis diebus.* Prædicit Christus præambulos timores supremi iudicii, dicens solem obnubilandum, lunæ defectum, stellarum deliquium, elementorum hor-

risonas concussions, iudicii rigores, conscientie impatientiam, damnationis pavores, quibus impii homines terribuntur in illis diebus. Cur vero prægnantes et nutriendes finis tempore, in majori periculo versantur ut super illas gravius vè inelamatur? Cur idem vè non intimator decrepitis, claudis et ægris? Non sine mysterio. Non enim est sermo de prægnantibus corporalibus, sed spiritalibus, respectu damnationis æternæ; de iis nimirum, qui instante mortis agone, salutaris vitæ propositum prius concipiunt; quæ res plena periculis est. Sæpe enim dum Deo ad penitentiam vocanti, tarde respondent, morte præveniuntur et pereunt, præterquam quod alia gravia damna sibi conciliant et a Deo juste et severe puniuntur.

Spiritus Sanctus, calamo Sapientis, *Prov., 1*, iis qui voci Dei, illos ad respicientiam vocantis surdas præbent aures, futurum indicat, quod in morte sua a Deo sint deridendi, atque insuper mortem hanc illorum futuram esse subitanam; ait enim: *Cum vobis id quod timebatis advennerit, cum irruerit repentina calamitas, et interitus quasi tempestas incongruerit, quando venerit super vos tribulatio et angustia, tunc invocabunt me et non exaudiam, nunc surgent et non invenient me; eo quod exosam habuerint disciplinam, nec acceperint consilio meo et detraxerint uniuersæ correctioni meæ.* Superius vero dixerat: *Quia vocari et renuistis, extendi manum meam, et non fuit qui acceperet. Desperastis enim consilium meum, et increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo et subsannabo.*

Adde nullum hominum sperare posse quod ex propria voluntate, etiam adhibito omni studio et sollicitudine, a peccato resurgere aut penitentiam agere valeat, nisi Deus, per meram suam misericordiam ad eum sublevandum suam ei dexteram porrexerit. Et quia tametsi etiam idipsum faciat, nisi efficacia ei præbeantur auxilia, peccator auxilianti Deo sæpe non cooperabitur. Unde in Proverbiis lamentatur inquiring: *Extendi manum meam et non fuit qui aspiceret.* Porro huius veritatis plene sunt sacræ litteræ quod scilicet nemo habere possit vel minimam cogitationem, aut desiderium bonum nisi Deus hoc illi dederit. Id quod S. Paulus apertis verbis asserit inquiring: *Fiduciam habemus per Christum ad Deum, non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.*

Sciendum quoque est peccatori quod quanto diutius penitentiam differt sacramentalem, tanto magis, in ejus conscientia, crescat multitudo et pondus peccatorum. « Peccatum » enim « est quoddam pondus aggravans animam, ut ad Deum « non possit surgere, » inquit S. Antoninus, « vè « respicere. Unde in Psalmo xxxviii dicitur: *Sicut « onus grave gravatæ sunt super me, scilicet iniquitates.* » S. Augustinus se intelligere non posse

profiteretur, quia ratione possibile sit ut homo ad extremum mortis articulum perductus penitentiam agere possit, juxta suggestum nobis a Joële consilium: *Convertimini ad Deum in toto corde vestro, in jejuniis, pluctu et fletu.* « Ecce enim quia « dicit in toto corde, nos docet Propheta, quod in « corde est fons penitentiae; fletus quidem ad oculum, pluctus autem ad os, sed jejuniæ ad « totum corpus refertur. O homo, ne tardes converti « ad Deum; discute mentem tuam, prospice singula « secreta cordis, considera antequam ad confessio- « nem accedas, quod cor nec cavet mala appetendo, « oculus vanitatem videndo, os falsitatem dicendo, « auris mendaciam audiendo, manus verbera et homicidia perpetrando, et si non opere, saltem « voluntate. O fratres, sicut exhibuistis membra « vestra servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem, ita et nunc exhibite membra vestra servire Deo in sanctificationem. Primo cor, quod mala cogitavit et concepivit peniteat et doleat. « Et oculus fleat. Os sine intermissione oret. Aures « audiant verbum Dei; manus elemosynas porrigant, peregrinos suscipiant, infirmos foveant, « nudos induant. Pedes veniant ad Ecclesiam. Quia « sicut nullum fuit membrum, quod peccando Deum « non displicerit, ita nullum sit, quod penam « non patiarit condignam. » Verum enimvero quæ ratione homo in agone mortis constitutus, hæc facere poterit penitentiam, quando febris malignitati immerus, vel a delirio, vel a lethargo, vel ab acerbissimorum dolorum vehementia, vel ab agonis læta absorptus fuerit?

b. — His omnibus verbis, *væ autem prægnantibus*, etc., vastationis huius magnitudinem Dominus significat, quibus ostendit summum illud odium, quo peccatum insequitur. Elegerat hos in populum sibi peculiarem, scilicet Israelitas, quorum famulatu nequitiam egebat, sed, ex sola sua bonitate, ac piissima charitate eos dilexit. At vero cum peccatis suis Deum contaverunt in inago, in terra deserta, et vastæ solitudinis, peccata peccatis cumulant, ad Deos alienos conversi, ita his secleribus Dominus ad iracundiam fuit provocatus, ut totum illum vehementem amoris ignem, in ignem odii et indignationis verterit. Quem tremendis verbis et longa oratione Moyses in cantico suo, *Deut., xxxiii*, expressit, cum Dominum sic loquentem inducit: *Ignis accensus est in furore meo et urdebit usque ad inferni novissimam.* Ubi quot verba, tot fulmina sunt, quibus Dominus iræ suæ magnitudinem, summeque erga peccatum odium, ex tam multiplici ac horrenda peccatorum atrocitate declaravit.

Multæ equidem sunt rationes, cur Deus peccatum in peccatore detestetur. Albertus Magnus illum adducit ex Habacu Propheta textum: *Mundi sunt, Domine, oculi tui et respicere ad iniquitatem non*

poteris. Et ideo Sapiens Deum *speculum sine macula* appellat. Quanta autem macula peccati sit turpiditas, S. Thomas a Villanova, his quidem paucis, sed nervosis verbis indicat. « Qualis est macula quæ Dei « sanguine diluitur? » Cornelius a Lapide, super caput ii Jeremie, hæc de re scribit: « Fuit consensum « taneum magis Dei Filium hominem fieri et tam « indigni pati, quam peccatum inultum relinqui. » Porro Deus peccatum tanto prosequitur odio, ut supremum sanctissimæ Triadis consistorium decreverit ut pro illo abolendo et destruendo, secunda in divinis Persona Iteam hanc mortalitatis nostræ trabem indueret, in eaque per triginta trinis annorum liliadem pro peccato debellando pateretur et tormenta subiret. Unde S. Bonaventura ait: « Deus persecutus est peccatum ab initio, in tantum, quod projecit illud de coelo et videns quod « remanserat in mundo, ipse in propria persona « descendit in mundum, ut de ipso fugaret peccatum, et tandem in iudicio projiceret, et includeret « ipsum in infernum. » S. Antoninus quoque de eadem materia hæc habet considerationes: « Apparet, quoniam displicet Deo peccatum, ex ejus « destructionis elaboratione; omnes enim labores « assumpti, ut destrueret peccatum; voluit enim « carnis assumere, ut carnis a peccato munda- « ret; predicare, ut illud contereret; sacramenta « instituire, ut illud destrueret; Apostolos in mundum mittere, ut illud expugnaret; vendi, ut nos « redimeret; ligari, ut nos a peccatis solveret; san- « guinem fundere, ut nos a peccatis lavaret; crucifigi, ut illud crucifigeret; occidi, ut occideret « peccatum. »

VERSUS 20.

Orate autem, ne fiat fuga vestra in hieme vel sabbato.

1. — Cæsarius Arelatensis per hæc verba Christum dicere voluisse ait: « Videte, ne tunc quaeratis « peccata fugere, quando jam non licet ambulare; » quoadque enim viatores sumus, divinam possumus misericordiam implorare; ad quando in hac via amplius non erimus, omnis nobis deturcabitur spes salutis; et ideo: *Ecce nunc dies acceptabiles, ecce nunc dies salutis.* Lyranus autem in sensu literali dicit: « Id est, tempore incompe- « tenti, ex aeris importunitate; » S. Hieronymus, ad excidium Jerusalemitanum alludens, dicit: « Quia duritia frigoris prohibet ad solitudinem « pergere. »

2. — Hugo Cardinalis per gelidam hanc hiemem, peccatum intelligens ait: « In hieme, id est, « in peccato. *Prov., xx, 4: Propter frigus piger arare « non solet, mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei.* » Idem quoque Cardinalis per malas hiemis influentias, varia insinuat vitia, quæ nos infestant: « In

« hieme est ventus, id est, superbia; obscuritas, « hoc est invidia; fit ignis, hoc est ira; frigus, « tristitia; gelu, avaritia; tunc magis solet con- « sumi, gula; tunc est via lutosa, luxuria. »

3. — Præmiserat paulo ante Salvator, in eodem S. Matthæi capite: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigerescit charitas multorum*; per gelidam igitur hiemem dimittit, imo extinctio charitatis intelligi potest, quo in casu vere abundat iniquitas. S. Anselmus inquit: « In hieme fugit, cujus fide vel « charitate refrigerescit, a Deo sunt elongati; » S. Hieronymus in eorundem verborum glossa, per desolationem istam, finem mundi denotari docet, inquiens: « Hoc præcipit, ut non refrigerescat chari- « tas nostra. »

Vel sabbato.

4. — Lyranus ait: « Vel sabbato, tempore in- « competentis ad fugam ex quacunque alia causa, « quia tunc non erat sabbatum observandum, in « quo non erat licitum Judeis ambulare ultra « mille passus. »

5. — Notandum est hoc loco difficultas, ex hoc verbo emergens; cum enim Redemptor noster prophetiam hanc, post abolitam legem Mosaicam et Evangelium promulgatum adimplendam esse probe sciret, cur observantia sabbati mentionem facit? Præterea quis est, qui nesciat, quod licet lex illa etiam in suo vigore permansisset, illa tamen jure naturali, nunquamque ad vitam salvandam obliganti præjudicare non potuerit? Respondetur, Christum de solis Judeis loqui intendisse, qui etiam lege abolita adhuc judaizabant, suisque ritibus et legibus antiquis adeo pertinaciter adhererant, ut potius vitam perdere quam eas transgredi voluissent, prout videre est I *Machab.*, II, 24. Prævidebat item, quod illo tempore observantia sabbati ad legis novæ contemptum, exactissimi observatores futuri fuissent. S. Hieronymus perpendit, Christum illos hoscæ verbis inter duos posse scopos, ad quorum alterutrum alidere debebant, hinc enim obstabat « transgressio legis, si fugere « voluissent; illic mors imminens, si remansisset. » Cajetanus Judeos in virtute legis scriptæ, longam in die sabbati iter facere non potuisse considerans, subdit: « Nec per hoc intelligas, peccatum fuisse, si sabbato longum peregrinasset iter « fugiendo, quoniam necessitatis articulus excusasset ab omni peccato, sed intellige animos eorum « ratione sabbati turbandos, hinc timorè, ne forte « violetur sabbatum, inde causa fugæ impellente. »

6. — S. Athanasius ait: « Hiemem peccata « vocat, et sabbatum securitatem, dicit ergo vobis « animo in peccati securitate vel socordia constitutæ; » idem quoque S. Anselmus dicit: « In « sabbato fugit, qui otiosus in divino opere tor-

« pescit; » pariter Theophylactus inquit: « Sic « intelligit quod oporteat precari, ne fiat fuga « nostra ex hac vita, hoc est mors in sabbato, oligo- « sis nobis a bonis operibus; neque in hieme in « sterilitate bonorum, sed in serenitate animæ, « que non turbetur. »

7. — Jansenius auctoritatis S. Augustini innoxius, verba illa hac glossa illustrat: « In hieme vel sabbato, ne in lætitia vel tristitia rerum temporalium « quis inveniat illo die. »

Additio.

a. — *Orate ne fiat fuga vestra, etc.* Quisquis nisi tempore mortis peccata deserere vult, is vere in sabbato, vel hieme, hoc est in tempore valde difficili fugam meditatur: consuetudo siquidem inveterata peccandi penitentiam difficilem et pene impossibilem reddit. Verum quidem est S. Augustinum post contractum et inveteratum habitum malum, in ætate xxxiii annorum tandem ad penitentiam fuisse reductum: at vero prout ex ejus confessionibus liquet, quando a Deo ad sui emendationem efficaciter vocatus fuit, sine mora vocanti respondit et paruit. Et ideo in sermone quodam de hac materia in hæc verba prædicavit: « Nemo « nec post centum peccata, nec post mille crimina, « de misericordia divina desperet. Sic tamen non « desperet, ut sine ulla mora Deum sibi repropitiari festinet; ne forte si consuetudinem peccandi « fecerit, etiamsi velit de diaboli laqueis liberari, « non possit. » Idem quoque docet S. Bernardus in sermone de sanctis Apostolis Petro et Paulo, quorum primus cum Christum negasset, subito compunctus fuit, quamprimum errorem suum agnovit. Secundus vero, dum etiamnum actualis Ecclesie persecutor esset, vix *circumfusus lux de caelo*, cum ecce sine dilatione in Domini voluntatem se resignavit dicendo: *Domine, quid me vis facere?* Idem tamen Bernardus, postquam ostendisset quantæ difficultatis sit penitentia in illis, qui, postquam a Deo lumen et gratiam receperunt, eundem temere offendunt, paulo post hæc verba subdit: « Nec ta- « men si quis hujusmodi est, desperamus de eo, « tantum ut resurgere velit cito. Quanto enim « diutius permanebit, tanto evadet difficilius. *Beatus vero qui tenet et albidus parvulus Babylonis ad « petram*; etenim si creverint, vix poterunt sublevari. »

VERSUS 21.

Erit enim nunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

1. — S. Thomas pro intelligentia hujus textus, ad historiam Josephi Hebraei *de bello judaico* nos remittit, utpote qui excidii illius ruinas exactissime describit; idem Angelicus Doctor aliquas calamitatum illarum succincte recensens, ait: « Multi fame

« mortui sunt. Erant seditiones in civitate, ita quod « invicem seipsum interficiebant; unde cum Titus, « qui erat mitissimus, vellet eis parcere, ipsi nol- « bant; erant latrones, qui interficiebant multos, et « quædam mulier comedit filium suum; » unde in nulla unquam servitute, sive Ægyptiaca, sive Babylonica, sive Syriaca, sive quavis alia tantis Judæi passi fuere ærumnas, quantas in hac destructione sustinuerunt.

2. — Quod si verba hæc de Antichristi persecutione intelligas, Auctor Imperfecti hoc dubium moveri posse dicit, an scilicet tempore illo major futura sit calamitas, quam tempore diluvii? Ad quod libere respondet affirmative: « In hoc enim « erit pejor tribulatio ista, quia illic corporalis fuit « perditio, hic autem spiritualis; » et ratio est, quia tunc animæ tentatæ valde periclitabantur, ne a Deo totaliter recedant: « Quis enim illic tormen- « tis astrictus est, quia coluit Deum? Hic autem « tormentis afflicti sunt, qui non transeunt ad « diabolum, relinquentes Deum; » de hac tribulatione S. Joannes dicit: *Quærent homines mortem, et non inveniant eam, et desiderabunt mori, et fugiet mors ab eis.* S. Anselmus hæc de Antichristi tribulatione exponens, non solum sævissima illius tyranni tormenta considerat: « Sed quod gravius est, sig- « norum quoque operatio, eos, qui tormenta inge- « runt, comitabitur. » Unde Paulus, II *Thess.*, II, 9, ait: *Cujus adventus est secundum operationem Satanae in omni seductione, signis et prodigiis mendacibus, et S. Anselmus ideo subdit: « Cujus enim fides non « concutietur, cum persecutor veritatis sit etiam « operator virtutis? » Albertus Magnus, in *Luc.*, circa exterminium Jerosolymitanum alia terroris motiva notat dicens: « Quia conflata, ex tribus « magnis, tyrannorum invasione, hæreticorum se- « ductione, falsorum fratrum seductione, » quæ omnia novissimorum temporum desolationi etiam adaptari posse videntur.*

VERSUS 22.

Et nisi breviant fuissent dies illi, non feret salva omnis caro, sed propter electos breviantur dies illi.

Et nisi breviant fuissent dies illi, non feret salva omnis caro.

1. — S. Thomas citat S. Augustinum, qui aliquos suo tempore dies illos abbreviandos fuisse dicit, scienti tempore Josue prolongati fuere, quod tamen improbabile esse judicat, dicente Psalmista: *Ordinatione tua perseverant dies, ac proinde Doctor Angelicus duas alias adducit expositiones: « Primo, ait, quod dies tribulationis sunt bre- « viati, primo in numero; unde si durasset tem- « pus illud, omnes essent interfecti, quia nullus*

« remansisset, et quare? Quia Romani dominaban- « tur per totum orbem, et jam Judæi dispersi sunt « per totum mundum; ideo si durasset tempus « illud, interfecti fuissent ubiquitous terrarum; vel « dicuntur dies breviant, quod mala breviantur. »

2. — Lyranus circa propositionem: *Non feret salva omnis caro*, ait: « Caro autem hic accipitur « pro homine, » juxta illud: *Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est; « sensus ergo est « iste, » inquit hic auctor, « omnis caro non feret « salva, id est, nullus homo fiet salvus, si esset « longum predictum tempus tribulationis. »*

3. — Communior tamen sacrorum Interpretum opinio est, verba hæc in ordine ad persecutionem Antichristi, in ultimis sæculis futuram, intelligi; ad Glossa ordinaria ait: « *Breviantur non « mensura, sed numero, ne mora temporum fides « concutiat credentium; erunt hæc enim mala, « tribus annis et dimidio tantum. » S. Anselmus ait: « Dicuntur abbreviati, id est, breves, quasi « brevissimi, quia nisi breves et pauci fuissent dies « illi, perirent omnes electi illius temporis, » idque propter magnitudinem miraculorum et oppressionem; eadem quoque fuit Bedæ super hunc textum consideratio, dicens: « Hæc tribulatio quanto brevioris ponderis gravior, tanto est temporis brevitate futura moderatior, tribus namque annis et dimidio Ecclesiam impugnantem esse creditur, quantum ex prophetia Danielis et Apocalypsi S. Joannis cognosci potest. »*

Sed propter electos breviantur dies illi.

4. — Auctor Imperfecti, II *om.* XLIX, non modo eos fideles, qui in virtute et sanctitate magis conspicui erant, sed etiam debiliores ab illius temporis angustiis defendendos et liberandos esse dicit: « Etiam mediocres homines et infirmi, non virtute « fidei, aut merito operum suorum, sed velocius « subveniente Christi adventu, non enim propter « peccatores diutius, ut etiam electi periclitentur, « sed propter electos festinaturus est, ut neque « mediocres deficiant, quia promptus est Deus ad « liberandos bonos, quam ad perdendos malos, » adducitque appositam aurificis cujusdam similitudinem, qui aurum in luto videns, lutum simul cum auro elevat, non propter lutum sed aurum: « Nam « et aurifex, » inquit, « si invenit aurum sordidum mixtum, non propter sordem etiam aurum « contemnit, sed propter modicum aurum, conten- « tus est etiam sordes accipere; » utilissimum ideo est in sanctorum hominum societate degere, illi enim per merita sua, et quam apud Deum habent auctoritatem et reverentiam, a multis non calamitatibus tœnentur et eripiunt; unde Angelus Paulus in tempestate maris periclitanti apparuit, eique ex parte Dei dixit, *Act. Apost.*, xxvii, 34: *Eccc donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum.*

VERSUS 23.

Tunc si quis vobis dixerit : Ecce hic Christus aut illic, nolite credere.

1. — Quæri hic potest, cur Christus monstrum illud Antichristum varie circumscribens, non appellare voluerit; utique ipsum sicut et omnia in sapientia fecit; nam S. Irenæus ait: « Nomen ejus tacuit, quia dignum non est denominari. » Unde Psaltes de impiis et reprobis ait: *Nec minor ero nominum eorum per labia mea. Psal. xv, 4.*

2. — Cornelius a Lapide super hunc textum, insignem reflexionem facit, quod, quia Judeis notum erat, tempus venturi Messie in propinquo esse, juxta id quod dicitur, *Gen., xlix*, quia sceptrum Israël defecerat et ad extraneos, cujusmodi Romani et Herodes erant, devolutum fuerat, ideo Christus multos eorum Vespasiano adulteros esse previdit, persuadendo ei, ipsum ut Judæa victorem, Messiam esse tanto tempore ab ipsæ expectatum; deinde sciendum est quod desolationis illius tempore, tres Jerusalem factiones erant, quarum quælibet suum sibi Messiam suo modo fingebant, ideoque Salvator eos opportune monuit, ne cuique, Christum se esse dicenti, facile crederent.

VERSUS 24.

Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

1. — Porro miracula hæc non vera, sed apparentia tantum erant, ad seducendum fideles, erantque illis, quæ Sancti operabantur, similima; unde Auctor Imperfecti ait: « Signa non inutilia neque vana, quæ ministri diaboli facere solent; sed magna, id est, utilia et plena, quæ Sancti facere solebant. »

2. — Hugo Cardinalis verba: *Si fieri potest, etiam electi*, ponderans ex S. Gregorio, *Homil. ix super Ezech.*, dicit: « Exprimitur, quod electi in corde tentabuntur, mutant enim, sed non cadunt; dicitur ergo: *Si fieri potest*, id est, trepidabunt, et tunc dicuntur electi, quia non cadunt. Dubitatio itaque sermonis a Domino in electis exprimit trepidationem mentis, quos et electos nominat, quia cernit, quod in fide et bonis operibus persistunt. »

3. — Cajetanus operum admirandorum, quæ Antichristi sequaces patrabunt, efficaciam et vim considerat siquidem illa, æterna veritate teste, tanta futura erit, ut etiam electi et sancti seducendi essent, nisi Deus illos potenti manu sua sustineret: « Dixit hoc ad significandam magnitudinem fallacie comitantis magna signa et prodigia, quæ

« tunc fient non ab uno, sed a multis pseudochristis et pseudoprophetis. »

4. — Albertus Magnus differentiam quamdam notat, quæ est inter induci in errores et tangi ab erroribus: « Aliud est, » ait, *in Luc.*, « errore » tangi, et aliud in errore induci, tangitur enim, « qui tentatur, et hoc humanum est, quia humanæ ignorantie est errare; sed in errore inducitur, « qui terrori consentit; dicit autem: *Si fieri potest*, « ut gratiam Dei continentes, sanctos ostendat. »

VERSUS 25.

Ecce prædixi vobis.

VERSUS 26.

Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire. Ecce in penetralibus, nolite credere.

1. — Jansenius Christum his verbis non monuisse dicit, ut, quando hi falsi Prophetae Christum in deserto esse, annuntiaturi venerint, non modo non credamus, sed neque illum eo fine pedem moveamus. Albertus Magnus Antichristum multis in principio habiturum esse existimat eremicos: « Ut sub specie religionis magis recipiant: *Nolite exire*, sicut ad Joannem Baptistam existis; » eundem jubet nos conceptum formare, si in occulto etiam nobis annuntiariint: « Ne credatis, non enim erit adventus meus occultus; nam sicut *« fulgur exit ab oriente, etc., ita erit adventus Filii hominis. »* Juxta Sapientis edictum, *Prov., i, 25*: *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam*; hæretici autem qui falsam obtrudunt doctrinam, prædicant in secreto.

2. — S. Thomas in Matthæum aliam adducit moralitatem, dicens non hisce verbis edoceri, ne a bonorum consortio separemur: « Isti infideles et hæretici, » inquit, « dum sunt fideles in societate et congregatione, non possunt decipere, sed nuntur, quod a societate separentur, et tunc decipiunt, et hoc est, quod vult dicere; dixerint, « ecce in deserto est, nolite credere, nolite a bona societate et congregatione separari. »

VERSUS 27.

Sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis.

1. — Filius Dei, juxta Cajetanum, hæc fulguris, tam in Orientali quam Occidentali mundi parte comparantis similitudine insinuare voluit, suum coram mundo adventum omnino publicum et manifestum fore, textum nihilominus corruptum esse idem auctor existimat dicens: « Suspicio ergo minus bene interpretatum hunc textum, et de here legi: *Sicut enim fulgur*, ita quod similitudo

« affectur de fulgore solis, non de fulgure. » Auctor Imperfecti præmissa similitudine fulguris, quantum ad velocitatem ejus, sequentem subdit radiorum et lucis solaris comparationem: « Si enim sol, qui ad ministerium nostrum creatus est, tantam habet splendoris virtutem, ut in quacumque parte cæli fuerit, ubique appareat quasi præsens, quanto magis Sol spiritualis Christus cum venerit, in toto videbitur mundo, magis autem mundus in eo videbitur. *Ignis ante eum præcedet. Psal. xcvi, 3.* » S. Anselmus quoque, huic conformiter discursui, ait: « Ab omnibus totius orbis hominibus videbitur, juxta Apocalypsim, *i, 7*: *Et videbit eum omnis oculus; nec in secreto apparebit, quia Deus manifeste veniet.* »

2. — Ex hisce Christi verbis, Paulus de Palatio, adventum judicii ab oriente processurum deducit, iniquis: « Applaudit communis Christianorum sensus, credentium, quod in oriente humanitas Christi sedeat, ab eo ergo loco veniet, ubi nunc est; ut enim ascendit Dominus, super cælum cæli ad orientem, ita descendet de cælo cælorum « sicut fulgur ab oriente. »

VERSUS 28.

Ubi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilæ.

1. — Albertus Magnus Christum, non se Dei, sed hominis Filium nominare considerans, ait: « *Ita erit et adventus Filii hominis*, quia in forma hominis judicabit nos, in qua pro nobis judicatus est; » cum igitur ipse, dicit Lyranus, in judicio generali, in gloriosi hominis similitudine comparebit, consequenter: « Illic congregabuntur Sancti, occurrentes obviam Christo, venienti ad judicium; » per aquilas enim designantur Sancti. Unde et S. Hilarius ait: « Sanctos de volatu spiritali corporis, aquilas nominavit, quorum congregantibus Angelis, conventum futurum in loco passionis ostendit, et digne illic charitatis adventus expectabitur, ubi nobis gloriam eternitatis, a passione corporeæ humilitatis operatus est. »

2. — Cajetanus Christum docere voluisse ait, suum in aere adventum, non phantasticum aut imaginarium, sed realem fore et corporalem: « Conveniant sancti homines, » inquit de electis, « velat aquilæ convolant ad cadaver comedendum, ex qua similitudine duo intelligimus, quæ erunt vera; alterum est, quod Sancti concurrant ad Christum, non ambulando super terram, sed velut lut volando in aera, quia ut dicitur: *Rapiemur obviam Christo in aera*; alterum est, quod avidi velat ad factum cibum congregabuntur ad Christum. » S. Bonaventura Christum sese corpus, ubi fuerit corpus, appellare notat, at « aquilas omnes justos, qui ad Christum congregabuntur in judi-

« cio et in cælo. » Chrysostomus ad Angelorum, Martyrum, cæterorumque multitudinem Sanctorum, dicta verba exemplificat. Illa porro aequalium, id est, electorum, Sanctorum congregatio in die judicii, in corporis et sacramentis Christi humanitatis virtute continet; unde Paulus de Palatio ait: « Ideo enim non dixit: *Ubi ego fuero*, sed *ubi corpus fuerit*; igitur sicut humanitas Christi fuit instrumentum meritum Christi, ita et erit instrumentum elevationis corporum beatorum; indicatur etiam « nobilitas corporum beatorum; sicut enim aquilæ sunt reginæ avium, ita et corpora beata erunt excellentissima corpora. »

3. — S. Ambrosius quamdam ex hisce verbis, Altaris Sacramentum concernentem, eruit moralitatem dicens: « Bonæ aquilæ circa altare, *ubi enim corpus, ibi et aquilæ*; Corpus Christi est in altari, aquilæ vos estis; » sicut enim harum avium proprium est, sursum sese erigere in cælum, terramque despiciere, ita pariter sacrosancto huic corpori devoti, mundum concipiunt bonorum terrestrium: *Quæ sursum sunt querunt; non quæ super terram*. Quantumvis enim Deus sit, qui de seipso dicit: *Cælum et terram ego impleo*, nihilominus ex amore nostri, ut nutriat animam nostram, sub minimo velut hostiæ atomo sese abscondit, docens nos omnia despiciere bona terrena. Memoranda hic occurrit illa de Abrahamo historia, qui Loth fratris liberationem et a quinque regibus victoriam consecutus, Melchisedech obvium habuit, offerentem panem et vinum, principalissimum Sacramenti Altaris figuram, *Gen., xiv, 21*: *Proferens panem et vinum, benedixit ei*; huic igitur Patriarchæ sancto Rex spolia obtenta ab hostibus consignavit, dicens: *Da mihi animas, cætera tolle tibi*; cui Sanctus, pane et vino illo, antiquissima Sacramenti altaris figura, recreatus, quantum a transitorio aversionem haberet, illico subintulit, respondens: *Levo manum meam ad Dominum Deum excelsum, possessorem cæli et terræ, quod a filo subtegminis usque ad corrigiam caligæ non accipiam*; non sine causa Christus Eucharistiam, quando jam jam hinc abiturus erat, instituit: *Ut transeat ex hoc mundo ad patrem*; et iterum, *Jam non sum in mundo*, dicit in ultima cena, ad denotandum scilicet, eos, qui pane hoc angelico cibantur, velut aquilæ affectu et corde, ab omnibus hujus mundi bonis sublevari debere.

VERSUS 29.

Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur.

Statim autem post tribulationem dierum illorum,

1. — Lyranus, sacros Expositores secutus, notat,